Elenchus quaestionum theologicarum ac philosophicarum.

Lublini. 1755.

ELENCHUS
QUÆSTIONUM
Theologicarũ ac Philosophicarum
Romæ
Ab A. R. P. N.
IGNATIO
VICECOMITE
Præposito Generali
Societatis JESU.
pro Polona Provincia
APPROBATUS
Annô 1755.

Lublini Typîs Sacræ Regiæ Majestatis impressus.

QUÆSTIONES
Dogmaticæ adjungendæ quæſtionibus Theologicis præſcriptis in ratione Studiorum.

DE DEO

I. AN perpetua fuerit ab Apoſtolis & SS. Patribus usq; ad Concilium Nicænum traditio de tribus in Deo uno diſtinctis Perſonis? & de æterna Filii generatione ac conſubſtantialitate. II. Quanta ſit Authoritas traditionis? III. An particula: *Filioq;* meritò addita fuerit Symbolo Conſtantinopolitano? IV. Quanta ſit Authoritas Conciliorum? V. De *Proceſſi*one Spiritus Sancti à Filio.

DE BEATITUDINE & ACTIBUS HUMANIS

I. An Moyſes & S. Paulus in hac vita intuitivè Deum viderint? II. Quæ fuerit Joannis XXII. circa Beatitudinem Sanctorum Sententia? III. An animæ Sanctorum, quibus aliquid poſt mortem

luendum supereſt, in purgatorio ad tempus detineantur, atq; fideliū precibus juvari & ſublevari poſſint. IV. Libertas ad merendum vel demerendum requiſita, an excludat ſimplicem neceſſitem Janſenianam? V. An aliquando cenſuerit S. Auguſtinus Adamum per peccatum liberum amiſiſſe arbitrium?

DE GRATIA.

I. An detur Gratia inefficax eaq́; an ſit verè ſufficiens? II. An abſq́; fide poſſint fieri opera moraliter bona? III. An ſit neceſſaria Gratia ſupernaturalis ad initium fidei, & quæ de his punctis SS. Patrum doctrina? IV. Quanta ſit Authoritas Scripturæ & SS. Patrum. V. An poſſibilis fuerit Status naturæ puræ non integræ?

DE VIRTUTIBUS.

I. Quis ſit ſupremus Judex controverſiarum fidei, an ſola ſcriptura? & an à Pontifice legitima ſit appellatio ad Concilium generale? II. An Pontifex poſſit errare ſaltem extra Concilium. Et an Honorius Papa lapſus ſit in Hæreſim? III. Quid ſit definire ex Cathedra? IV.

An

An Ecclesia Christi visibilis aliquando defecit aut defectura sit? V. Quanta sit Authoritas Theologorum & Historicorum?

DE JUSTITIA.

I. An infideles & peccatores sint capaces Dominii? II. An homo habeat dominium suæ vitæ, famæ, honoris &c. Item Clerici beneficiati in partem superfluam? III. An liceat occidere innocentem ad avertendam Reipublicæ perniciem? IV. An judex debeat aut possit secũdùm allegata & probata morte damnare eum, quẽ privatâ notitiâ scit innocenté. V. Qui non potest restituere in uno bonorum genere, an teneatur in alio?

DE INCARNATIONE.

I. An Adventus Messiæ contra Judæos demonstrari possit? II. Numerus hebdomadarum Danielis unde est inchoandus? III. An sit in Christo duplex voluntas & operatio? IV. Humanitas Christi unita hypostaticè Verbo quali adoratione colenda est? V. An sit & quàm antiquus Cultus Sanctorum, Reliquiarũ, Imaginum?

DE SACRAMENTIS.

I. Quid de Accidentibus in Euchariſtia remanentibus cenſendum ſit, an ſcilicet intentionalia ſint an phyſica? II. Quanta ſit Authoritas rationis & Philoſophorum? III. An valida ſit Ordinatio facta ab Epiſcopo Simoniaco & quid cenſendum de modernis ordinationibus Epiſcoporum in Anglia? IV. An materia & forma Sacramenti Ordinis ſit ſubſtantialiter diverſa apud Græcos & Latinos? V. Quo jure & à quo tempore continentiæ obligatio ſit annexa ſacris Ordinibus etiam Subdiaconatui in Eccleſia Latina.

DE PÆNITENTIA

I. An ſit & quàm antiqua neceſſitas Sacramentalis Confeſſionis? II. An Contritio imperfecta ſit bona laudabilis, & donum Dei? III. An Concilium Tridentinum definiêrit amorem Dei neceſſarium eſſe in attritione, ut hominem diſponat ad Sacramentum pænitentiæ cum fructu ſuſcipiendum. IV. An abſolutio verè & propriè dimittat peccata, an verò potiùs ſola fides juſtificet? V. An Eccleſia acceperit à Chriſto Domino poteſtatem conferendi Indulgentias?

ELENCHUS QUÆSTIONUM PHILOSOPHICARUM.

EX LOGICA.

Quæſtiones Proœmiales Logicæ.

I. UTrum Logica ſit virtus intellectûs; & ad quam ſpeciem virtutis intellectualis reducatur? II. Quodnam ſit objectũ materiale immediatum adæquatum Logicæ docentis? III. Quod eſt ipſius objectum formale? IV. Quomodo verſetur circa ſuum objectum? an practicè, an ſpeculativè? V. Quis finis ſeu objectum attributionis ipſius? VI. Quæ ipſius neceſſitas, vel utilitas:

QUÆSTIONES METAPHYSICO-LOGICÆ.

De ſignificativo terminorum, ſeu primarum apprehenſionum: nempe individuo, Univerſalibus, Prædicamentis, itemq; de Propoſitionibus & Syllogiſmis.

I. Quid ſit identitas, & diſtinctio realis & quotuplex: & quæ ſint ſigna ipſius? II. Quid ſit diſtinctio rationis, & quotuplex:

& quod fundamentum ipſius? III. Deturne in creatis aliqua diſtinctio media inter realem, & rationis, ſive illa formalis ex natura rei nemine cogitante *Scotiſtica*, ſive virtualis Thomiſtica? IV. An præciſiones noſtri intellectus ſint ſolùm formales, an etiam objectivæ? V. Quid ſit, & in quo conſiſtat ratio individui, & unde deſumatur? VI. Quid ſit univerſale metaphyſicum, & an detur extra ſingularia? VII. Quænam unitas ſit conſtitutiva univerſalis metaphyſici intra ſingularia? VIII. Utrū terminus cōmunis dictus de ſubjecto ſingulari, vel minùs latè patente, retineat ſuā univerſalitatem? IX. Quid ſint in particulari quinq; univerſalia, népe genus, differentia, ſpecies, propriū, & accidens? X. Quot ſint prædicamenta, & quid ſit definitivè unumquodq; ipſorum? XI. An dentur nemine cogitante relationes, & an ſint accidens nemine cogitante ſuperadditū fundamento & termino completis? XII. Quænam ſit differentia Relationis prædicamentalis à tranſcendentali? XIII. Quid ſint conſtitutiva rerum, denominationum, rela-

tionumq́;, quid pura requiſita, & quæ illorum ſigna diſcretiva. XIV. Quid ſit veritas & falſitas propoſitionum, & an ſint ſimul compatibiles, ita, ut eadem propoſitio poſſit ſimul eſſe vera & falſa? XV. Utrum omnis propoſitio, etiam in materia contingente, ſit aut determinatè vera, aut determinatè falſa? XVI. Utrũ propoſitio ſemel vera poſſit tranſire de vera in falſam, & è contra? XVII. An & quomodo neceſſitetur intellectus, poſito aſſenſu præmiſſarum, ad aſſenſum concluſionis? XVIII. Quid ſit demonſtratio, & quæ ipſius conditiones: XIX. Deturne Scientia, & quænam certitudo ac evidentia ſufficiat ad eandem? XX. Utrum opinio & ſcientia circa idem objectum materiale ex diverſis motivis poſſit ſimul ſtare in eodem intellectu, aut etiam in eodem actu.

EX METAPHYSICA.

I. Quid ſit ens? & an univocè conveniat DEO & creaturæ, ſubſtantiæ & accidenti? II. An sit admittenda, & quid ſit in re, poſſibilitas creaturarum intrinſeca? III. Eſſentiæ rerum creatarum ſintnè abſolu-

tè, an solùm ex suppositione liberæ determinationis Voluntatis Divinæ immutabiles? IV. Existentia rei creatæ an distinguatur ab ipsius essentia? V. Quænam sint attributa generalia entis, & quid sint? VI. Quisnam sit conceptus primariè definitivus substantiæ; & in quo consistat subsistentia propria naturæ creatæ completa? VII. Quid sint principia metaphysica rerum: & quod omnium primum ac universalissimum. VIII. Quid sit impossibile, quid carentia rei alicujus contingentis? seu quodnam sit objectum terminorum involventium contradictionem, & terminorum negantium aliquid contingens? IX. Utrum Dei Omnipotentia sit demonstrabilis, & quibus potissimùm rationibus demonstretur? X. Utrum Omnipotentia DEI connectatur essentialiter cum possibilitate intrinseca creaturarum. XI. Utrum Omnipotentia Divina sit productiva non tot, quin plurium creaturarum, in quacunq; specie syncategorematicè infinitarum? XII. Utrū possit etiam infinitum categorematicū creatum in aliquo genere quantitatis producere?

XIII. DE DEO creante, conſer-
vante, concurrente, ſeu in quo conſiſtat
actio Divina creativa, conſervativa & ſi-
multaneus cum cauſis ſecundis concur-
ſus?

EX PHYSICA GENERALI.

De Principiis intrinſecis Corporum na-
turalium, eorumq́; conſtitutione: De i-
pſorum Cauſis efficientibus, earumq́; ef-
ficientia: ac tandem de generalibus Cor-
porum affectionibus ſeu attributis, nem-
pe de quantitate molis, ſeu magnitudine,
figura, ſitu, motu, quiete & duratione.

I. Quid ſit corpus quò ad ſuam eſſen-
tiam? An ſcilicet eſſentia corporis con-
ſiſtat in trina dimenſione ſive extenſione?
ut voluit Carteſius. An in aliquo alio?

II. Expoſitis Syſtematibus Gaſſendi,
Carteſii, Maignani, Chimicorum & Ele-
mentarium, præferendũ illis propugnan-
dum Syſtema Ariſtotelis de primis prin-
cipiis intrinſecis corporis naturalis: quod
ſcilicet detur materia prima, & forma
ſubſtantialis abſoluta, quæ ſint prima
principia intrinſeca Corporum naturali-
um. III. Materia prima habeatne pro-
priam

priam exiſtentiam, diſtinctam ab exiſtẽtia formæ? An potiùs forma ſubſtantialis ſit tota quidditas compoſiti, ipſiusq; adæquata exiſtentia? IV. Eadem materia prima ſitne una ſpecie in omnibus corporibus naturalibus? V. Qualem potentiam & ordinem habeat ad formas ſubſtantiales: an ſcilicet æqualiter ad omnes indifferentem? VI. An poſſit exiſtere absq; omni forma ſubſtãtiali? VII. An formæ ſubſtantiales materiales præexiſtant ſecundùm ſuam entitatem in materia? & quomodo ex ipſa educantur? VIII. An dentur in aliquo corpore plures formæ ſubſtantiales, quarum una ſit ſubordinata alteri: IX. An, & qua ratione forma ſubſtantialis ſit principium radicativum formarum accidentalium? Quo loco ſtabiliendum, dari formas accidentales abſolutas, ſeu accidentia abſoluta. X. Materia & forma ſubſtantialis quomodo uniantur in unum per ſe totum ſubſtantiale? XI. An totum ſubſtantiale diſtingvatur realiter à ſuis partibus unitis ſimul ſumptis? XII. Quid ſit cauſa in genere, & quotuplex? & in quo

conſi-

consistit prioritas naturæ inter causam physicam efficientem & ipsius effectum? XIII. Deturne in rebus creatis, etiam corporeis, vera virtus activa, seu effectiva alicujus rei de novo: & consequenter an dentur veræ causæ secundæ etiam corporeæ? XIV. Utrum causæ creatæ dependeant essentialiter in agendo ab immediato concursu Divino? XV. Utrū à DEO physicè prædeterminentur ad speciem sui effectus? XVI. A quo determinantur ad individuum effectus? XVII. Possitne aliquid esse causa physica efficiens immediata suiipsius? XVIII. Sitne possibilis mutua causalitas physica simultanea? XIX. Utrum causa physica præexistens possit agere physicè immediatè, cùm non existit? XX. Causa physica corporea num possit agere purè in distans? XXI. Plures causæ corporeæ simul uni passo applicatæ quali actione agant? XXII. An effectus semel corruptus possit naturaliter reproduci? XXIII. Quid sit, & in quo consistat actio & passio causarum corporearum? XXIV. Quid sit eductio, creatio, conservatio,

vatio, alteratio, generatio, conversio, transsubstantiatio, corruptio, annihilatio, & quô differant? XXV. Quid sit quantitas, & quotuplex? quid quantitas molis, seu magnitudo corporea? XXVI. Continuum quantum corporeæ molis an componatur ex partibus divisibilibus in infinitum: an potiùs ex partibus ultimò resolutoriè indivisibilibus? XXVII. Utrum mensura & inæqualitas magnitudinis corporeæ proveniat à solo numero partiũ impenetratarũ, cõponentiũ extensionẽ corporis, an etiã ex diversâ ratione partium insectilium, ex quibus componitur, aut ex diverso modo plexûs & contactûs earundem partium provenire possit. XXVIII. Utrum unio continuativa partium corporis sit quid distinctũ à plexu, & cohæsione earundem partium inter se? XXIX. Quid sit figura tam superficiei, quàm molis corporum, & in quo consistat? XXX. Quid sit tempus imaginarium, quid tempus reale, & quid sit duratio; seu quid sit rem existere in tempore determinato? XXXI. Quid sint spatia imaginaria? quid locus

realis

realis; quid ipsius immobilitas? XXXII. An ſit poſſibile vacuum ſive coacervatum, ſive (ut ajunt) diſſeminatum, inter corpora interceptum? XXXIII. An detur reipſa vacuum ſive coacervatum ſive diſſeminatum? XXXIV. Quid ſit, & in quo conſiſtat ubicatio, ſeu præſentia corporis in certo loco? Quid ſitus ejusdem partiumq; ipſius? XXXV. An ſit poſſibilis tam replicatio, quàm compenetratio circumſcriptiva corporum? XXXVI. Quid ſit in genere motus, & quies ipſi oppoſita? XXXVII. An corpus inanimatum ex natura ſua ſit æquè indifferens ad motum & quietem: & æquè indigeat determinatione extrinſeca ad quietem, ut deſinat moveri, ac indiget determinatione extrinſeca ad motum, ut deſinat quieſcere? XXXVIII. An detur in rebus corporeis vtra cauſa motûs corporum: & utrum omne movens corporeum ab alio movetur: an potiùs poſſit unum corpus ab alio moveri, penitus immoto & quieſcente? XXXIX. Quid ſit celeritas & tarditas motûs corporum, ipſiusq; æquabilitas vel inæquabilitas? &

an diſ-

an differentia inter celeriorem & tardiorem motum desumatur ex pluribus vel paucioribus morulis, motum interrumpentibus? XL. Quænam intercedat proportio inter spatia & tempora in celeritatibus æqualibus, vel inæqualibus? XLI. In quo cōsistat quātitas absoluta motûs corporum? & an ipsi commensuretur vis motrix, qua unum corpus pollet ad movendum aliud corpus? XLII Quid sit, & in quo consistat impulsus, seu actio per quam unum corpus, incidens in aliud corpus, illud ad motum impellit? XLIII. Unde & qua ratione habeatur determinatio lineæ motûs tā directi quàm reflexi & refracti, tam simplicis, quàm cōpositi, in concursu, & oppositione pluriū virium motricium? XLIV. An detur in corpore quiescente, & quid sit vis inertiæ, qua motui alterius corporis incurrentis resistit? XLV. Quænam sint leges generales communicationis motuū?

EX PHYSICA PARTICULARI.

Pars I. De Elementis seu principiis secundariis mixtorum, eorumq; mixtione, ac variis affectionibus sensibilibus,

bus, tam elementorum, quàm mixtorũ. I. Quid ſint, & quot Elementa Peripathetica? & an ex ipſis omnia mixta cõponantur? II. Utrum materia triplicis elementi Carteſiani, ſaltem in parte, pro principio ſecundario mixtorum admitti poſſit? III. Utrum principia, ſeu elementa chimica, pro principiis ſecundariis mixtorum jure admitti queant? IV. An forma minimorum corpuſculorum elementarium, ad quorum reſolutionem virtute agentiũ naturalium perveniri poteſt, ſit à DEO concreata, ipſisq́; immutabiliter inhæreat? atq; ita eadem corpuſcula cum ſua forma actu inſint mixtis? V. Quid ſit mixtũ imperfectũ? quid mixtũ perfectũ quid mixtũ naturale? quid mixtũ artificiale? & an forma mixti etiam perfecti naturalis, ſit in re forma cõpoſita ex formis partialibus elemẽtaribus ſuorum miſcibilium? VI. An dentur in mundo ſublunari pura elementa? an potiùs omnia ſint mixta ſaltem imperfecta? VII. Quid ſit ſoliditas ſeu firmitas, & conſiſtentia corporum oppoſita fluiditati? Quid ſit eorundem durities vel mollities

tam

tam abſoluta, quàm reſpectiva, & und proveniat? Quanam ratione fiat, ut duri molliantur, & mollia indurescant? Qui demum eſt corporum conſiſtentium fra gibilitas, flexibilitas, friabilitas, ductili tas, liquabilitas? VIII. Quid ſit, & un de proveniat fluiditas corporum? & a corpus fluidum componatur ex minimi phyſicè particulis, in ſe quidem duris, ſ ſe tamē non ſecundùm planas ſuperficie ſed in puncto, vel quaſi puncto contin gentibus? An item de ratione fluidi ſi jugis motus particularum illud compo nentium? IX. Quid ſit denſitas abſolu ta? quid raritas abſoluta? & an major ve minor denſitas vel raritas reſpectiva pro veniat ex textura partium corporis, pau ciores minoresve, aut certè plures ma joresve poros ac interſtitia habente? Conſequenter an rarefactio in dilatatione pororum, aut nova eorum inductione; condenſatio in pororum contractione, & diminutione conſiſtat? X. Quid ſit calor? an ſcilicet conſiſtat in motu vehementi & perturbato ſubtiliſſimorum corpuſculorum, expanſivo partium cor-

poris

poriſ incaleſcentis, an in aliquo alio? Quanam ratione per ipſum fiat dilatatio incaleſcentium corporum, tam fluidorum, quam durorum? Qua item ratione fiat quorundam induratio, aliorum emollitio? Qua demum ratione fiat per ipſum corporum reſolutio, & ignis generatio? XI. Quid ſit frigus? An in ſola partium quiete, aut ignis caloriſq; privatione conſiſtat? An potiùs ſit qualitas activa, rectèq; reponatur in profluvio corpuſculorum ſubtiliſſimorum, conſtantium planis ſuperficiebus, in acutos angulos deſinentibus; quorum ſcilicet illapſu ſiſtitur, vel retardatur motus calorificus; hacq; ratione dilatata per calorem corpora conſtringuntur, rigeſcunt mollia, fluida per obſtructionem pororũ in duram maſſam abeunt? XII. Quid ſit humiditas? An ſcilicet, & in quali diſpoſitione particularum corporis fluidi conſiſtat: vi cujus tum externis partibus corporis humectabilis, cujus ſuperficiem tangit, tum internis illius, cujus poros penetrat, facilè adhæreſcat? XIII. Quid ſit ſiccitas? an ſcilicet in mera privatione

ejusmodi partium facilè tum externis, tum internis partibus corporis consistentis adhærentium, reponi possit? XIV. Quid sit odor primitivus? an scilicet in substantiali subtilissimo corporis odoriferi effluvio consistat? & an hæc effluvia reponenda sint in portione volatili substantiæ sulphureæ & mercurialis? Quid item intersit inter odorem svavem & molestum: & qua ratione affectionem odoriferam in sensu odoratûs excitent? XV. Quid sit sapor? à qualibus particulis habeatur? quid intersit inter saporem sallum, acrem, acidum, acerbum, Austerum, amarum & dulcem? XVI. Quid sit lux primitiva, per quam corpus aliquod est formaliter lucidum, seu luminosum? Quid lux derivata, per quam corpora aliunde redduntur illuminata? An scilicet lumen consistat in substantiali corporis lucidi effluvio, quaquaversū promanāte? ut voluit Gassēdus. An in sola pressione globulorum secundi Elementi? ut placet Cartesio. An potiùs in motu vibratorio rectilineo cujusdam subtilissimæ, fluidissimæ, & perquam elasticæ, substantiæ quaquaver-

ſum diffuſæ, ab agitatis innatantis eidem corporis lucidi partibus impreſſo? an demũ in aliquo alio? XVII. Quænã ſint leges, quibus luminis diffuſio perficitur, & intenſivè creſcit, decreſcitq;? Qua item ratione ac lege luminis reflexio fiat? ubi de modo reflexionis luminis à ſuperficie ſpeculorũ agi poteſt. Quæ item ſint leges refractionis luminis, dum ab uno medio tranſit in aliud: Ubi de modo refractionis luminis per vitreas lentes tractari poteſt. XVIII. In quo conſiſtat opacitas corporum impedientium luminis tranſitum ad tranſparentiã objectorum trans illa poſitorum? In quo item conſiſtat diaphaneitas ſeu perſpicuitas corporum opacitati oppoſita? XIX. Quid ſit color objectivus? an ſcilicet à magnitudine, figura, & plexu tenuiſſi narum particularum ſuperficiem corporis componentium, unicè dependeat? Quid color formalis? an ſcilicet in ipſa modificatione radiorum lucis, ab objecto colorato, certô modô reflexorum, & refractorum, conſiſtat? Quænam figura & ſitus particularum minimarum in ſuperficie

ficie corporis opaci, illud album reddat? quæ item nigrum constituat? An reliqui colores medii proveniant ex varia combinatione, ac permixtione lucis & umbræ? ut vult Gassendus, & Noster Honoratus Fabri. An ex varia combinatione motûs partim circularis, partim recti, quo luminis globuli per reflexionem aut refractionem ab objecto colorato afficiuntur? ut placet Cartesio. An ex variatione partim clari fundi obscurô mediô infuscati, partim obscuri fundi per medium clarum inspecti? ut opinatur Rizzethus. An ex aliqua diversitate radiorũ lucis tam quò ad reflexibilitatem, quàm quò ad refrangibilitatem, inter se differentium, qui scilicet simul juncti radium puræ lucis constituant, à se verò invicem separati, unusquisq; seorsivũ radium primitivi coloris intermedii referat: unus scilicet radium coloris violacei, alter cærulei, tertius viridis, 4tus aurei sive flavi, 5tus rubei? ut prætendit Newtonus. XX. Quid sit sonus primitivus? an scilicet consistat in motu tremulo exiguarum partium corporis

sone-

sonori? Quid sonus derivatus? an scilicet consistat in eodem motu tremulo, à corpore sonoro per aërem ad aures usq; propagat? Quænam sint leges, quibus per aërem soni propagatio perficitur? De soni celeritate, magnitudine, differentia inter gravem & acutum, ac ipsorum consonantiis. De soni reflexione concentratione, & echo. XXI. Quid sit gravitas absoluta corporum sublunarium? an scilicet sit quidpiam distinctum ab impenetrabilitate, & quantitate materiæ, à DEO authore naturæ ad conglobationem & consistentiam mundi sublunaris? Et utrum major vel minor gravitas levitasq; respectiva proveniat à majore vel minore quantitate ejusmodi materiæ impenetratæ, cõstituentis massã corporũ, sub æquali dimensione molis? Quid item sit levitas absoluta? & an detur in aliquo corpore elementari? XXII. Quid sit, & unde proveniat vis gravitationis, qua gravia & premunt obicem, cui incumbunt, & quamprimum illo submoto, sibi relicta fuerint, deorsum moventur? An scilicet ista vis sit intrinseca ipsorum

gravium naturæ? an ſit vis quædam, illis à DEO ſuperaddita & impreſſa? an proveniat ex vi quadam attractiva terræ, per evibratos à ſe quosdam radios hamatos, ad ſe gravia attrahentis? An ab impulſione cujusdam ſubtiliſſimæ ſubſtantiæ, terram quaquaverſum motu vorticoſo, jugi & perniciſſimo circumfluentis, & omnia corpora verſùs terram propellentis? XXIII. Utrum omnia corpora ſublunaria, etiam in ſuis reſpectivè locis, gravitent? An omnia ſibi relicta, cujuscunq; ſint molis & ponderis, æqua celeritate, ab eodem termino ad eundem terminum, in medio non reſiſtente, deſcendant? ſecus autem in medio reſiſtente, ac ponderoſo? De modo item accelerationis gravium in deſcenſu, & de ipſius cauſa. XXIV. De motu gravium in deſcenſu ſuper planum inclinatum: quodnam ſit ipſius momentum, & quæ proportio celeritatis, ad celeritatem deſcensûs per lineã horizonti perpendicularem? XXV. De motu gravium pendulorum, eorumq; oſcillatione ac diverſitate in numero & celeritate vibratio-

num,

num, nec non de proportione inter ſpatia & tempora, in ejusmodi oſcillationibus pro diverſa longitudine vel brevitate lineæ, per quàm pendula à ſuo axe dependent. XXVI. De centro gravitationis, & ratione lapsûs gravium, plano immobili inſiſtentium. XXVII. De gravium ſolidorum, ab eodem jugo ſuſpenſorum, æquilibrio, legibusq; ipſius. XXVIII. De motu, & vi motrice gravium ſolidorũ, per machinas: & qua proportione vis potentiæ motricis per illas poſſit creſcere? XXIX. De motu gravium ſurſum projectorum: de cauſa continuationis ejusdem motûs; & retardationis in progreſſu. De linea directionis ejusdem motûs: item de linea, quàm deſcribunt gravia tam horizontaliter, quàm obliquè ſive ſurſum ſive deorsũ projecta. XXX. De motu, põderoſis corporibus impreſſo, à motore translato. XXXI. De motu corporis gravis, circa datũ punctum in gyrum acti: & de viribus centralibus, in tali motu intervenientibus. XXXII. De gravitatione, & preſſione gravium fluidorum, ipſiusq; proportione,

ne, secundùm altitudinem suæ basis, tam in partes suas inferiores, quàm in fundum vasis, tum uniformis, tum convergentis, tum divergentis. XXXIII. De gravium fluidorum, tam homogeneorũ, quàm heterogeneorum, æquilibrio, ipsiusq; effectibus. XXXIV. De immersione gravium, in fluido ponderoso, ac eorundem in fluidis heterogeneis diversa ponderatione. XXXV. Quid sit elaterium? & unde habeatur vis elastica, per quam corpora elateriô prædita, post suam pressionem, eadem vi resiliunt, ac suo statui restituuntur, quâ fuerunt pressa. Quæ item sint leges communicationis motuum, in collisione corporum perfecte elasticorum? quæ è contra sint leges communicationis motuum, in collisione corporum planè inertium, vel quasi inertium: hoc est nulla, vel quasi nulla respectivè elasticitate præditorum? XXXVI. Quid sit vis magnetica, & à qua causa effectus magnetismi proveniãt? XXXVII. Quid sit vis electrica, & in quàm causam effectus refundi possint?

PARS

PARS II. DE CÆLO, & mundo ſublunari, ipſorũq; partibus.

I. De Syſtemate univerſi Ptolemaico, Tychonico, Copernicano: & quodnam, attentis præciſè rationibꝰ phyſicis, ſit reliquis præſecendũ? II. An cælum planetarium ſit planè vacuum? an durum compactumq́; ? an potiùs omnino fluidum? III. An item cælum fixarum ſit ſolidum ac durum, an potiùs itidem fluidum? IV. An moles terraquea ſit in centro cæli ſtelliferi, adeoq; in centro univerſi? V. De motrice Aſtrorum cauſa. VI. An ſtellæ fixæ ſint corpora luminoſa, hoc eſt, à ſe lucem quoquoverſum directè diffundentia? An ſint corpora dura & ſolida, an fluida? De illarum diſtantia à terra, magnitudine, ac numero. De illarum motu, præter diurnum, periodico. De illarum ſcintillatione. De via lactea. VII. De ſolis ſubſtantia: an ſit dura & ſolida. an fluida? An ſit purum elementum ignis an mixtum? Quid ſint maculæ ſolares? De illius motu diurno, periodico, & vertiginis. De lucis ſolaris diffuſione. De vera cauſa

crepu-

crepuſculi tam matutini, quàm veſperti-
ni, & inæqualis ejusdem durationis. De
ſolis eclipſi, quid ſit? & quæ ipſius cau-
ſa? VIII. De ſubſtantia lunæ; an
corpus per ſe luminoſum, an opacum?
ſitne corpus fluidum an ſolidum? an de-
tur circa lunam ſua athmoſphæra? Quid
ſint lunæ maculæ? lunæ phaſes unde pro-
veniant? De ipſius motu diurno, perio-
dico, & vertiginis. Quid ſit lunæ eclipſis
& unde proveniat? unde tunc ipſi nigri-
cans rubedo? IX. De reliquis 5. planetis
An ſint corpora per ſe luminoſa, an cor-
pora opaca, à ſole lumen recipientia? An
ſolida, an potiùs fluida? De ſingulorum in
particulari motu, diſtantia, magnitudine.
De ſatellitibus ſaturni, & Jovis. X. De in-
fluxu planetarum in mundum ſublunarẽ,
& an ex ipſo, quæſq; prædictiones A-
ſtrologicæ fieri poſſint? XI. Quid ſit come-
ta? ſitne ſolũ exhalatio ſulphurea, in ſubli-
mi aëre accenſa? An ſit tantùm præalta
nubes, à ſole illuſtrata? ut opinatur Gaſſen-
dus cum Heraclide, Metrodoro, Galilæo.
An fiat ex concretione ætheris atq; hali-
tuum, qui ex ſole cæteriſq; planetis cõ-

tinen-

tinenter erumpant? ut viſum eſt Heve-
lio, Argolo, & Keplero. An coaleſcat
ex pluribus ſtellis, ſimul unitis? ut quon-
dam putabant Anaxagoras, Democritus,
& Zeno Citticus. An potiùs ſint erran-
tia quædam ſidera, ab initio mundi con-
dita, quæ certa conſtantiq; periodo in
orbem redeant? ut quibusdam placet.
XII. Cometæ an ſint corpora fluida, an
potiùs dura, ſolida, & opaca, perinde ac
alii planetæ, lumen à ſole recipientia?
Quid ſit cauda cometarum? & cur in
partes à ſole averſas conſtanter projici-
tur? Cur creſcit viciniùs ad ſolem ac-
cedente cometa? Cur illo recedente de-
creſcat? De trajectoria cometæ, ſeu de
linea & orbita, quam ille motu ſuo pe-
riodico deſcribit. XIII. De partibus
ſphæræ elementaris mundi ſublunaris.
An ſcilicet hæc præter terram, aquam, &
àërem in ſuprema regione, ſeu circumfe-
rentia, cōcludatur ſphærâ? XIV. De àëris
ſublunaris ſubſtantia. Utrū ſcilicet àër ſit
fluidum, diverſum à ſubſtantia ætherea,
in jugi motu exiſtente? An in ſola con-
gerie vaporum & exhalationum, ex glo-

bo

bo terraqueo ascendentium, consistat? An sit corpus simplex, & perfectè homogeneum? An sit mixtum ex partibus sensibiliter heterogeneis, & qualibus potissimùm particulis constet. XV. De àëris perspicuitate, in quo consistat? gravitate, an ipsam, & cum qua proportione ad cætera gravia habeat? De ejusdem compressibilitate ac dilatabilitate, quanta sit? XVI. De àëris elasticitate, quam magna sit, quam constans, quos effectus habeat? an in eam vis admiranda pulveris pyrii aliiq; motus elastici corporum sublunarium refundi possint? Unde illa ipse àër habeat? XVII. De halitibus & vaporibus, è terra ascendentibus, àëriq; cõmixtis, quid sint? ex qua ratione ascendant? an quod impellãtur sursũ à calore subterraneo, aut à sole attrahantur? An quod ab àëre circumãbiente sursũ urgeantur? Et qua ratione per viã rarefactionis aut resolutionis leviores áëre reddãtur? Quid demũ sentiendũ de áëris partitione in tres regiones? XVIII. De meteoris spirantibus, seu de ventis, quid sint? quæ ipsorum origo? qui limites?

quæ

Quæ celeritates? quis eorum numerus, & nomenclatura? quæ differentia? XIX. De meteoris aqueis: nube, nebula, aura serotina, rore matutino, pruina, nive, grandine. XX. De meteoris igneis: ac primum de igne ſublunari, quid ſit? qualibus partibus conſtet? quomodo accendatur, nutriatur, extinguatur? quid ejus flamma? unde flammæ diverſi colores? unde figura conica? Tum de fulgure, tonitru, fulmine, aurora Boreali, ſtellis decurrentibus, & ignibus fatuis, ac lambentibus. XXI. De meteoris emphaticis, nempe: iride, halone ſeu corona planetaria, pareliis, paraſelene, virgis. XXII. De aquæ natura: An ſit capax preſſionis, an potiùs ex duriſſimis, nullamq; preſſionem patientibus corpuſculis componatur, & conſequenter etiam omni vi elaſtica deſtituatur? Quanam ratione fluiditas ipſius differat á fluiditate àëris? XXIII. De maris ſalſedine unde ſit? De ipſius altitudine ſeu profunditate. De ejusdem æſtu reciproco, & variis ad hunc æſtum explicandum hypotheſibus, præſertim Galilæi, ad annuum diurnũq;

terræ

terræ motum recurrentis: Cartesii, causam istius motûs in pressionem lunæ, per meridianum transit, refundentis: Newtoni, vim generalem mutuæ attractionis inter corpora ad corpus lunæ in corpus maris pertrahentis. XXIV. De Fontium origine: an hæc ducenda sit ab aqua maris, per occultos terræ tractus fluente, & per ostiola fontium erumpente? an ex pluviis solutisq; nivibus, in subterranea receptacula confluentibus, iisq; datâ viâ procurrentibus? An certè partim ex aquis marinis, occultos terræ meatus subintrantibus, ibiq; in vaporem, solutis, per varias terræ venas & cavernas ascendentem, atq; iterum in aptis receptaculis in aquas concrescentem; partim ex aquis pluviis nivosisq; simili modo fontium venas suppeditantibus? XXV. De Thermis, & aquis mineralibus. XXVI. De Terræ natura & structura, montiumq; ductu & origine, de motu terræ, ignibusq; subterraneis. XXVII. De Fossilibus & mineralibus terreis, uti de salibus, succis oleosis, lapidibus, gemmis, & corporibus metallicis.

is. XXVIII. De viventibus corporeis:
ac primo quid sit in genere vita in actu
primo? quid vita in actu secundo & quo-
tuplex? XXIX. Quid sint plantæ? quæ
in ipsis partium organicarum constru-
ctio? quæ origo propagationis ipsarum?
An scilicet omnes nascantur ex suo spe-
cifico semine, continente inchoata linea-
menta organica suæ plantæ? An potiùs
aliquæ oriantur ex putri? quomodo ex
semine fiat propagatio plantæ, tum na-
turalis & immediata, tum artificialis &
mediata? Quomodo plantæ nutriantur
& crescant? In quo consistat anima ve-
getativa plantarum? & an per traducem,
hoc est, per viam traductionis à majori-
bus plantis ad novellas transeat seu pro-
pagetur? XXX. De vita sensitiva bru-
torum: atq; imprimis quid sit sensatio?
An hæc non aliter ex appulsu rerum
sensibilium in organa externa excitetur
in anima, nisi passio externi fervoris ce-
rebro communicetur? Quales sint præ-
cipuæ partes internæ organicæ corporis
animalium, sensationi inservientes? quamq;
communicationem tam inter se, quàm

cum

cum ſenſibus externis habeant? videl
cet cerebrum, cerebellum, medulla o
longata, & ſpinalis, nervorum textura
diffuſio, ſpiritus demum naturales &
nimales. Utrum ſenſatio fiat immedia
in ea corporis parte, quæ per rerum ſ
ſibiliũ appulſũ paſſione aliqua afficitur,
potiùs in cerebro? Utrum anima ſen
tiva in toto corpore animalis exiſtat,
ſolùm in cerebro? Utrum anima brut
rum ſit in partes diviſibilis? Utrum
ſubſtantia ſpiritualis an materialis? Ut
ſit verè ſenſitiva, & conſequenter bru
propriè ſentiant, an potiùs ſint mera a
tomata? Utrum brutis inſit cognitio
qua in ſuis motibus peragendis dirigan
tur, atq; ita agant propter finem? D
generatione animalium imperfectorum
an ſcilicet ex putri oriri poſſint? & a
anima brutorum omnino per traducem
propagetur? XXXI. De ſenſibus ex
ternis internisq;: ac primo de ſenſu vi
ſûs, & modo viſionis corporum, tam di
rectæ, quam reflexæ. De ſenſu auditûs
guſtûs, olfactûs, & tactûs: ac de modo
quo ſenſationes ab his ſenſibus excitan-
tur.

tur. De ſenſibus internis ſeu vi imagi-
natrice, & memoria. De nutritione & augmentatione animalium, eorumq; fame & ſiti. XXXII. De anima ratonali: An ſit ſpiritualis, á ſolo DEO creabilis, & naturâ ſuâ immortalis? De potentiis ipſius ſpiritualibus, intellectu & voluntate; an ſint diſtinctæ realiter inter ſe, & ab anima? De actibus intelligendi & volendi; an ſint realiter diſtincti ab animæ ſubſtantia? & qua ratione inter ſe differant? itemq; an judicium ſit actus intellectûs an voluntatis? Utrum anima in toto corpore hominis intimè præſens exiſtat? & quomodo ipſi uniatur? Utrũ in generatione hominis præcedat infuſionem animæ rationalis anima vegetativa, & poſt purè ſenſitiva? An præter animam rationalem detur ſimul in homine diſtincta realiter anima ſenſitiva aut purè vegetativa? Quænam in homine intercedat communicatio inter motus animæ rationalis & motus corporis? Quid ſint ſpecies impreſſæ: & quomodo ſubſerviant animæ rationali ad rerum intellectionem

onem & memoriam! Quid sint, & in quo consistant affectus seu passiones animi; & quantùm ad illas valeat humorum temperamentum? Quid sint habitus naturales, & an sint admittendi tum corporales in facultatibus organicis, tum spirituales in ipsa anima? De vigilia & somno humano, de respiratione, motibusq; tam naturalibus, quàm spontaneis. De locutione & incessu. De causa proxima dissolutionis animæ á corpore, & consequente morte, quæ est ultima linea rerum humanarum.

QUÆSTIONES PHYSICÆ PARTICULARIS in COMPENDIUM REDACTÆ.

PARS I. De Elementis seu principiis secundariis mixtorum, eorumq; mixtione ac variis affectionibus sensibilibus, tam elementorum, quàm mixtorum.

I. Utrum Elementa Peripathetica sint materia secundaria mixtorum? II. An materia triplicis elemēti Cartesiani, itēq; principia

cipia seu elementa Chimica, pro materia secundaria mixtorum admitti queant? III. Utrum corpuscula elementaria actu cum sua forma insint mixtis? Consequenter forma mixti naturalis etiam perfecti, sit in re forma composita ex formis elementaribus partialibus suorum miscibilium? IV. An dentur in mundo sublunari pura elementa? an potiùs omnia corpora sublunaria sint mixta saltem imperfecta? V. De qualitatibus tactilibus inertibus: nempe soliditate & fluiditate, densitate & raritate, ad easq; pertinentibus, duritie & mollitie; humiditate & siccitate, itemq; frangibilitate, flexibilitate, friabilitate, ductilitate, liquabilitate: quid sint, in quo consistant? utrum illorum differentia à sola minimorum physicorum diversimoda figura, plexu, & textura proveniat? VI. De qualitatibus tactilibus actuosis: nempe calore & frigore, in quo consistant? & quomodo sibi opponantur? an privativè, an contrariè? Utrum scilicet calor consistat in motu vehementi ac perturbato subti-

lissimorum corpusculorum, expansiv partium corporis incalescentis, an in aliquo alio? An item frigus consistat in mera privatione caloris, an potiùs in profluvio aliquorum subtilissimorum corpusculorum, suo illapsu sistentium aut retardantium motum calorificum? VII. Quid sit odor primitivus? quid odor derivatus? & à qualibus profluviis corporum proveniat? quæ item causa sit emanationis talium profluviorum? quid intersit inter odorem svavem & molestum? VIII. Quid sit sapor? quomodo, & à qualibus particulis causetur? quid demum intersit inter saporem salsum, acrem, acerbum, acidum, austerum, amarum & dulcem? IX. Quid sit lux primitiva, per quam corpus aliquod est formaliter lucidum? quid lux derivata, per quam corpora aliunde redduntur illuminata? Quibus legibus fiat luminis diffusio, & intensivè crescat, decrescatq́; Quibus item legibus fiat luminis reflexio & refractio? In quo demum consistat opacitas corporum, impedientium

lumi-

luminis transitum ad transparentiam objectorum? eidemq; contraria diaphaneitas seu perspicuitas? X. Quid sit color objectivus? an scilicet consistat in ipsa aptitudine superficiei corporum, ad certô modô reflectendam, & refringendam lucem, proveniente ex certa magnitudine, figura, plexu tenuissimarum particularum, eandem superficiem componentium, an in aliquo alio? Quid item sit color formalis? an scilicet in ipsa modificatione radiorum lucis, ab objecto colorato certô modô reflexorum & refractorum consistat? Quid demum intersit inter extremos colores, album & nigrum? & quô differant inter se reliqui colores intermedii? XI. Quid sit sonus primitivus: an scilicet consistat in motu tremulo exiguarum partium corporis sonori? Quid sonus derivatus? an scilicet consistat in eodem motu tremulo, à corpore sonoro per àërem ad aures usq; propagato? De soni proprietatibus: nempe de modo propagationis, celeritate, magnitudine, differen-

tia inter gravem & acutum, ipsorumq; consonantiis, itemq; soni reflexione, concentratione, & echo. XII. Quid sit gravitas absoluta corporum sublunarium? an scilicet sit nec ne quidpiam distinctum ab impenetrabilitate & quantitate materiæ, à DEO authore naturæ destinatæ ad conglobationem, & consistentiam mundi sublunaris, ita, ut à majore vel minore quantitate ejusmodi materiæ, sub æquali dimensione molis corporum, proveniat eorundem major vel minor gravitas levitasq; respectiva? Quid item sit levitas absoluta, & an detur in aliquo corpore elementari? XIII. Quid sit, & unde proveniat vis gravitationis, quâ gravia & premunt obicem, cui incumbunt, & illôq submotô, quàmprimum sibi relicta fuerint, deorsum moventur? Et an omnia corpora etiam in suis respectivè locis graviten? XIV. De Centro gravitationis corporum gravium solidorum, variisq; proprietatibus & causis motûs ipsorum, tam connaturalis, quàm violenti, & mixti; ut

sunt

ſunt motus gravium acceleratus in deſcenſu per lineam horiſonti perpendicularem, motus gravium in deſcenſu per planum inclinatum: motus gravium tam ſurſum, quàm horizontaliter & obliquè projectorum. Motus oſcillationis gravium pendulorum. Motus gravium in gyrum actorum. Motus gravium communicatus à motore translato. Motus gravium collabentium in plano immobili, cui inſiſtebant. XV. De gravium ſolidorum ab eodem jugo ſuſpenſorum æquilibrio, legibusq́; ipſius, & de augmento potentiæ motricis eorundem per machinas; qua proportione creſcat, ac unde proveniat? XVI. De proprietatibus gravitatis corporum fluidorum: ut ſunt: illorum gravitatio ſecundùm altitudinem basis: eorundem inter ſe æquilibrium, variiq; iſtius æquilibrii effectus: ac demum ipſorum habitudo ad ponderationem gravium ſolidorum iisdem immerſorum. XVII. Quid ſit elaterium? & unde habeatur vis elaſtica, per quam corpora elateriô

prædita post suam pressionem eadem vi resiliunt, ac suo statui restituuntur? Quæ item sint leges communicationis motuum in collisione corporum perfectè elasticorum? quæ è contra sint leges communicationis motuum, in collisione corporum planè inertium, vel quasi nullâ respectivè elasticitate præditorum? XVIII. Quid sit vis magnetica? & à qua causa effectus magnetismi proveniant? XIX. Quid sit vis electrica? & in quam causam effectus electricitatis refundi possint?

PARS II. DE CÆLO & mundo sublunari ipsorũq; partibus.

I. De Systemate Universi Ptolemaico, Tychonico, Copernicano, & quodnam, præscindendo á rationibus mathematicis, sit reliquis præferendum? II. De substantia cælorum, tam stelliferi, quàm planetarii, sintne corpus solidum ac durum, an potiùs omnino fluidum? III. De motrice Astrorum causa. IV. De

stellis

ſtellis fixis: ſintne corpora luminōſa eaq́; dura an fluida? quis ipſarum motus? unde illarum ſcintillatio? V. De ſolis ſubſtantia: ſitne purum ignis elementum an mixtum? Sitne corpus durum an fluidum? Quid ſint maculæ ſolares? quid Eclipſis? qua ratione fiat lucis ſolaris diffuſio? Unde crepuſculum matutinum & veſpertinum, ipſiusq; inæqualis duratio? Unde calores æſtivi? VI. De ſubſtantia lunæ: ſitne corpus per ſe luminosū an opacū? Fluidū an ſolidum? quid ſint lunæ maculæ? quid Eclipſis? Lunæ phaſes unde proveniant? VII. De reliquis in particulari planetis, eorūq́; in genere influxu in corpora ſublunaria. VIII. Quid ſit cometa? ſitne corpus per ſe luminoſum? Fluidum an ſolidum? Unde ipſius cauda ſemper in partes à ſole averſas projecta, & in acceſſu ad ſolum creſcens, in receſſu decreſcens? an & qualem habeat motum periodicum? IX. De partibus ſphæræ Elementaris mundi ſublunaris: An ſcilicet hæc præter terram, aquam & àërem in ſuprema

regio-

regione concludatur ſphærâ ignis, an potiùs æthereâ ſubſtantiâ, jugiter globum terraqueum circumfluente? X. De ſubſtantia áéris, ipſiusq́, proprietatibus: ſitne purum elementum an mixtum? & qualibus potiſſimùm partibus heterogeneis conſtet? Unde ipſius perſpicuitas? quanta gravitas, cõpreſſibilitas, dilatabilitas? quanta elaſticitas? & unde illam àér habeat? XI. De halitibus & vaporibus; quæ ſit cauſa aſcensûs illorum ex terra? & qua ratione reddantur áére leviores? XII. De Meteoris ſpirantibus emphaticis, aqueis, & igneis: ubi ſimul de igne ſublunari: quid ſit? qualibus partibus conſtet? quomodo accendatur, nutriatur, extingvatur? Unde ipſius flamma? Unde ejusdem flammæ colores? Unde figura Conica? XIII. De aquæ natura, & proprietatibus: Qua ratione differat ab àére in fluiditate? qua proportione in gravitate? an ſit capax preſſionis? an vi elaſtica polleat? Unde ſalſedo mari? Unde æſtus reciprocus? Quænam fontium origo? Quæ diverſi-

tas Thermarum, & aquarum minerali-
um? XIV. De terræ natura, & ſtru-
ctura, monti um ductu, & origine, De
cauſa terræ motûs. De foſſilibus & minera-
libus terreis, uti de ſalibus, ſuccis oleo-
ſis, lapidibus, gemmis, & corporibus
metallicis. XV. De Viventibus cor-
poreis: ac imprimis quid ſit in genere
vita in actu primo? quid vita in actu 2do.
& quotuplex? XVI. *De* Vita regenera-
tiva plantarum: Quomodo plantæ nutri-
antur, creſcant, propagentur? in quo cō-
ſiſtat anima vegetativa earundem? XVII.
De Vita ſenſitiva brutorum: ac impri-
mis quid ſit ſenſatio? utrum ad eam re-
quiratur, ut paſſio externi ſēſorii cōmuni-
cetur cerebro? Utrum fiat in cerebro, an
potiùs in ea ipſa parte corporis, quæ per
rerum ſenſibilium appulſum paſſione ali-
qua afficitur? Utrum anima ſenſitiva in
toto corpore animalis exiſtat, an ſolùm
in cerebro? Utrum anima brutorum ſit
materialis? an in partes diviſibilis? An
ſit verè ſenſitiva? Utrum brutis inſit
cognitio, qua in ſuis motibus peragen-

dis

dis dirigantur, atq; ita agant propter finem? Utrum anima bruorum per traductionem propagetur? Et an ex ipso putri animalia imperfecta oriri possint? XVIII. De Vita humana. Quid sit anima rationalis? An sit substantia spiritualis, á solo *DEO* creabilis, ex natura sua immortalis? De potentiis spiritualibus animæ, intellectu & voluntate, sitne realiter distinctæ inter se, & ab anima? De actibus intelligendi & volendi, an sint realiter distincti inter se, & á substantia animæ? An judicium sit actus intelligẽdi an volendi? Utrum infusionem animæ rationalis præcedat anima vegetativa, aut etiam sensitiva? Et an detur in homine præter animam rationalem distincta realiter anima vegetativa aut sensitiva? Quomodo anima rationalis uniatur corpori? Qualis intercedat communicatio inter actus spirituales animæ, & motus materiales corporis? Quid sint species impressæ, & quomodo subserviant animæ rationali ad rerum intellectionem & memoriam? Quid sint, & in

quo

quo conſiſtant affectus, ſeu paſſiones animi? & quantùm ad illas valeat humorum temperamentum? Quid ſint habitus naturales, & an ſint admittendi tam corporales, in facultatibus organicis, quàm ſpirituales in ipſa anima? De ſenſibus externis & modo, quo ſenſationes per ejusmodi ſenſus excitantur: ſeu de modo, quo fit viſio, auditio, olfactio, odoratio, guſtatio. De nutritione, reſpiratione, motibusq; naturalibus, & ſpontaneis. De differentia inter vigiliam & ſomnum. De morte hominis phyſicè ſpectata.